



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118561

§. 106. Pontifex Senensibus favens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66577)

rarentur in opem Senensium, eo quod tam populus, quam cives Hispanorum imperium pertæsi pro recuperanda libertate arma sumere parati essent, quinimo nuntiatum erat, quod ipsemet Pontifex huic expeditioni palam faveret, recenti injuria offensus a Mendoza, qui vigiliarum Præfectum Romæ levi ex causa contumeliose verberari jusserat.

Sæcul. XVI.
A.C. 1552.

§. CVI.

Pontifex Senensibus favens.

Nec vanus erat hic rumor; quippe re ipsa Senenses arma capebant, cum vero in Cosmæ potentia magnum sibi præsidium esse repositum crederent, Callistum Carinum ad eum mittunt, & Cæsaris obsequium, ut ante fecerant, in posterum colere se paratos ostendunt: cæterum Mendozæ sævitiam, & Hispani militis insolentiam in causa esse inquirunt, cur arma sumpserint; igitur ut nihil contra moveat, neque, quo minus pristinam libertatem recuperent, impediatur, per viciniam, & amicitiam jura enixe admodum orant. Ad hæc Cosmas laudata civium egregia voluntate, modo Cæsaris obsequium minime desererent nec Gallis adhærerent, amicitiam vicissim pollicetur. Hanc conditionem lubenti animo acceptant

Senen-

Sæcul. XVI
A. C. 1552.

Senenses: cum autem Cosmæ Orator ab eis in datæ fidei pignus obsides tradi peteret, Lanfacus mox Roma Senas contendit, eisque promptum Franciæ Regis auxilium offert, ac ipsemet Pontifex apud Cosmam instabat, ne ullum impedimentum obiiceret, quo minus Senenses libertatem recuperarent, eo quod id tantum Galli agerent, sibi que certo de ipsorum voluntate constaret; itaque copias reduceret, & occupata oppida restitueret; alioqui fore ajebat, ut, dum alieno negotio se immiscet, sibi hostem domum arcessat, qui non contentus, ut Senensium protegat res, ultro etiam ipsi bellum illaturus esset. Nec vana erant Pontificis monita; jam enim Cardinalis Ferrariensis, & Thermus Marchio Mirandulæ ac Parmæ ingentes copias parabant, in Etruriam procul dubio impetum facturi.

§. CVII.

*Conditiones inter Cosmam Etruriæ
Ducem, & Senenses.*

Itaque Cosmas, ut sese ab hoc negotio alioqui sat periculoso salvo honore suo expediret, cum Senensibus in has conditiones convenit. I. Otho Montacutus cum militibus suis omni re salva arce excederet, qua solo æquata Senenses